

veterum scientissimi Pythagorei recte dixere, binarium qui primus numerus esset, lineæ respondere. Ternarium qui secundus, respondere superficiei. Quaternarium qui tertius, respondere corpori: suadente, cogenteque quamvis tacite, rerum natura. Quæ nec ultra quatuor numerum, (ex quo denarius, numerorum ultimus conficitur) nec ultra corpus passa est, continuum progredi. Idque ipsum intra quatuor.



Etenim sicuti, quæ inter duo puncta spaciis pars intercipitur, linea est, et quæ inter tria, prima est superficies triangulus, sic quæ inter puncta quatuor spaciis pars continetur, (uno in eodem posito) primum corpus efficitur Pyramis. Post quod si quinque punctis spaciis comprehendatur, si sex, si aliis pluribus, non aliud quam corpus absolvent. Hoc est trinam dimensionem, longum, latum, et profundum. Quibus partes spaciis infiniti (nam totum ut infinitum non metimur) dimetimur. Magnaque admiratione prosequendum est, duo puncta lineam, tria superficiem, quatuor corpus, tres spaciis partes includere; neque ultra progredi posse, ad speciem aliam, præter corpus formandam: intraque eadem quatuor, numerus perfectissimus Denarius consistat. Ultra quem, replicatio sine eorundem, non alterius formæ productio. Nec minore admiratione dignum, alio etiam modo, ex continuis primum illud corpus constituentibus, denarium gigni: lineas nempe sex, superficies quatuor, tria scilicet Pyramidis latera et basin. Inter quæ tamen puncta et lineas, et superficies, etiam si longe plures in formandis corporum figuris constituentur, non nisi tria spacia, longum, latum, ac profundum, corpus unum, atque omne conficientia, concludi posse. Itaque recte a veteribus. Pythagoreis dictum est; tria includere omnia, atque ideo esse perfecta.

Igitur, natura nos per rerum gradus, ordine ducente, in puncta, in lineas, in superficies, in corpora, in unitatem, in numeros deducti sumus. Hæc autem scientiarum, eam, quæ mathematica a veteribus est nuncupata, universam constituunt. Cumque hæc omnia in spacio illo infinito iacere comperta sint, idque sit actu infinitum, ea quoque ibi infinita, et actu infinita esse, est necesse. Quod a veteribus non bene cognitum, non est plane negatum, nec plene traditum. Puncta enim infinita in magnitudine esse, lineam posse in infinitum dividi: lineam posse in infinitum protrahi; numerum in infinitum posse augeri, asserunt. De quibus quatuor asserionibus, primato neque fatemur, neque negamus. Secundam et fatemur, et negamus. Tertiam, partim negamus, partim fatemur. Lineam enim negamus, a nostra mente, aut arte in infinitum posse produci; attamen eam quæ punctis finita est, iis liberata infinitudinem sui natura, fatemur subire. Quartum vero fatemur partim, qua scilicet numerus sui natura infinitatem subit, negamus vero partim, qua scilicet nostra opera, id posse fieri intelligatur. Sed fecunda illa maxime est nobis controversa. Fatemur enim infinitam lineam, quæ punctis libera, infinitudinem subiit, in infinitum posse dividi. Sed in linea punctis terminata ac finita (sicuti veteres acceperunt, et docuerunt) id vero maxime pernegamus. Quæ illorum assertio, quoniam ingentes peperit absurditates, magnisque ingeniorum aciebus est in pugnam deducta, est a nobis quoque maxime perpendenda. Itaque primo dicimus, Aristotelem qui maxime inter veteres, videtur huic sententiæ faville, nullo veritatis, multo contentionis studio, in quo, ne se sapientior alter videretur, totus fuit; in astruptionis huius ingressu, multifariam impegit: deinde in progressu maxima peperit monstra. Missa in præsentia facimus ea quæ contra Leucippi, ac Democriti atoma corpuscula agitavit,